Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2335
Quelle:
Copyright:

Atque ferocis pelle leonis gaudet asellus
Cum meliorem sumit bonorem quis patharellus
Vt pharisei sunt pathareni semper vbique
Quos toga uelat que mala celat gentis inique
Vt nec amandi nec tolerandi sunt pharisei
Sic reprobandi non imitandi sunt patharei
Namque bonorum siue malorum cognitor odit
Quos sceleros os iure peros os actio prodit
Quos notat index ultio uindex tempore finis
Quando paratur quando minatur mors patarinis.

Haereo, an *Bernardo Morlanensi* tribuam. Subjecit Librarius:

Explicit iste liber sit scriptor crimine liber.

Ad calcem Codicis compactae sunt Membranulae duae, quarum priore testatur *Petrus Inbel de Lichternach* Presbyter se a *Chilmano de Wickebe* Abbate et Conventu in *Himmerode*, Ord. S. *Bernardi* eorumque Provisore *Petro de Wickebe* accepisse debitos sibi XV. Rhenenses *anno Domini M. CCCC° XII. Dominica qua cantatur letare Iherusalem.* Altera *Scabini* Oppidi in *Bydeberg Henricus miles prepositus*, *Herwardus dictus Waller iusticiarius*, *Johannes de Fore*, *Nicolaus dictus Voit*, et *Johannes dictus de Milmbach et Dilkinns* promittunt *Henrico* seniori filio *Henzekini iuxta portam Conscabini* sui Coenobium *Himmerodense* ingressuro post Patris mortem legitimam Bonorum portionem. *Datum Anno Domini M°. CCC°. Vicesimo quarto feria quarta post Dominicam qua cantatur*, *Cantate Domino.*

DCXV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 157. f. Opuscula a diversis scripta continet, ut sequuntur: I. *Nigelli* (non *Vigelli*, ut in quibusdam editis) *Wereker*, *Wireker* s. *Wirecher Cantuariensis*, Monachi et Eccl. *Cantuar.* Praecentoris, qui circa an. 1200. claruit, *Brunellum* s. *Burnellum*, vel *Speculum Stultorum* carmine elegiaco ab ipso non fine ingenio et salibus scriptum, sed hic *prosa* redditum, quod certe rarum, ut ex *Oudini*, *Fabricii*, *Tanneri* et aliorum, qui de Autore ejusque Speculo *metrico* agunt, silentio planum fit. Praefationis inscriptio miniata est: *Incipit prologus in speculum stultorum.* Duplex est in editis, ut docet Exemplar *Coloniense* anni 1499. 4. mihi objacens, Prooemium, oratione prosa unum directum ad *Guilhelmum* postea *Eliensem* Episcopum, 286

quod